



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Pro defensione Ecclesie per Heinricum Ducem Bauariae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

consilij sanioris secundum Dei timorem & B. *Augustini* regulam prouiderint eligendum, Paci quoq; & tranquillitati vestrae paterna in posterum sollicitudine prouidere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, vt infra fines locorum vestrorum nullus rapinam vel furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere, seu violèciam aliquam temerè audeat exercere. Decernimus ergò vt nulli omninò hominum liceat præfata Ecclesiam temerè perturbare, auctius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conferuentur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua sedis apostolicæ auctoritate, & *Saliburgensis* Archiepiscopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica seculariue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire temptauerit, secundò tertio due commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisq; sui careat dignitate, eamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei ac Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen.

Datum *Lateran.* per manum *Cencij* sanctæ *Luciæ* in Horthea Diaconi Cardinalis, Romanæ Curiaë Camerarij, XVII. Calen. Aprilis. Indictione tertiadecima. Anno Dominicæ Incarnationis M. C. XC. IV. Pontificatus verò Domini *Celestini* Papæ III. anno quarto.

Pro defensione Ecclesiæ per *Henricum* Ducem

Bauaria.

NOs *Henricus* Dei gratia Comes Palatinus *Rheni*, Dux *Bauaria* &c. Tenore presentium declaramus, quod nos cœnobium S. *Zenonis* apud *Halle* situm, in nostram protectionem recepimus specialem, vt quicumque eandem Ecclesiam in bonis suis grauare præsumperit, nobis ipsis factam esse præsumptionem huiusmodi reputemus. Mandamus ergò Iudici ac vniuersis ciuibus in *Halle* firmiter iniungentes, vt si quis hominum dictum Cœnobium in redditibus suis grauet, vel molestare præsumat, loco nostri ipsum fideliter defendatis. Officialibus etiam nostris districtè præcipimus vt decimas in *Castuna* & de officio in *Halle*, & penes *Halle* quas eidem Cœnobio, pax memoriæ *Ludouici* Comes Palatinus *Rheni*, Dux *Bauaria* auus noster contulit, de bonis nostris ei primò soluantur. Quicumque verò officialium nostrorum hoc neglexerit, nostram indignationem sentiet & offensam. Illud etiam adiicimus, vt si fortè eadem bonâ vendere, obligare, vel quoquomodo à nobis alienare contingat, prædictum tamen cœnobium in perceptione decimarum debeat permanere. Tibi verò Iudici sub obrentu beneuolentiæ nostræ præcipimus, vt si apud te pro aliquo debito ipsis soluendo deposuerint quærimoniam, ipsis debitam iusticiam & satisfactionem facias exhiberi. Alioquin de voluntate nostra est, vt ipsos compellant per sacramenta Ecclesiastica ad soluendum. In cuius rei testimonium, ipsi Cœnobio dedimus præsentem litteras nostri sigilli robore communicas. Datum in *Trauersstein*, Anno Domini Milleesimo, ducentesimo, septuagesimo tertio. Nonis februarij.

Confir.